



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

**Riedel, Adolph Friedrich**

**Berlin, 1845**

LXIII. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Domstifte Hebungen in Göhren, am 9. Juli 1290.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54414)

in domino Jesu, qui omnium reconpensator est in bono, a vobis petimus humiliter et devote, ut in reconpensam confraternitatis vestre suffragia nobis et successoribus nostris detis litteratorie, que pro nobis reddet omnium retributor. Datum in Gramczowe anno domini M<sup>o</sup>. CC. XC. VII. idus junii.

**LXIII. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Domstifte Hebungen in Göhren, am 9. Juli 1290.**

In nomine domini amen. Otto et Conradus, dei gratia Marchiones Brandenburgenses — canonicis stendalensibus et eorum ecclesie ad instantiam fidelis nostri Burgensis Gerdingi de stendal et ob reverentiam dei et sue genitricis virginis gloriose duorum chororum, videlicet unius chori siliginis et unius chori ordei proprietatem, donauimus perpetuis temporibus quiete et pacifice possidendam, Abrenunciantes vniuerso iuri, quod nos in eisdem habere hactenus uidebamur. Sunt autem chori premissi siti in villa Gore, vbi eos idem Gerdingus in antea possederat a nobis cum omni iuris integritate. Ita quod nichil iuris nichil prorsus proprietatis nobis de cetero in ipsis poterimus vendicare. In huius rei evidentiam pleniorum presentes fieri decreuimus literas et sigillorum nostrorum appensionibus communiri. Testes huius rei sunt dominus Hinricus de wardenberg dapifer, Conradus de redere, Tzwlis de Wedele, Burgardus niger de Irkeffleue et dominus Johannes prepositus de Widstoch et alii plures fide digni. Acta sunt hec et data Magdeburgh, Anno domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. LXXX<sup>o</sup>, in die dominico ante Margarete virginis.

**LXIV. Die Markgrafen Otto und Konrad vereignen dem Domstifte einige Hufen und Rechte in Schwechten und Schernickow, am 2 Febr. 1292.**

In nomine Domini amen. Otto et Conradus, dei gratia marchiones Brandenburgenses et de Landeberg — ob reverentiam Jesu Christi et sue matris virginis gloriose et ad ampliandum diuinum officium donauimus Ecclesie sancti Nicolai in stendal suoque conventui proprietatem quatuor mansorum sitorum in villa Swechten et proprietatem sex mansorum sitorum in villa Scerne-kaw et proprietatem decime minute in ipsis sex mansis et proprietatem vecture curruum, quam hunc usque in iisdem sex mansis habuimus, quiete et pacifice proprietatis titulo perpetuis temporibus possidendam, Abrenunciantes uniuerso iuri, quod nos in ipsis bonis possedimus et eorundem proprietate neque aliquid iuris de ceteris nobis bonis vendicabimus in eisdem. Addicimus preterea quod noster famulus Nappowe dedit nobis pro prefata donacione bonorum triginta talenta denariorum, ut ipsam perpetuo magis gratam et ratam firmiter observemus. In predictorum omnium evidentiam pleniorum presentes conferibi iussimus litteras et sigillorum nostrorum appensionibus communiri. Testes huius rei sunt fideles nostri Conradus de Redere, hinricus de wardenberg dapifer, Buffo niger et Buffo albus de Irkeffleue dicti, Hermannus de Gardelegen, Johannes de Aldenvlet dapifer et hinricus de stegeliz et alii plures fide digni. Acta sunt hec Anno Domini M<sup>o</sup>. CC<sup>o</sup>. nonagesimo secundo, In purificatione domine nostre virginis gloriose, et datum per manum domini Alwardi prepositi Ruppinentis curie nostre notarii.